AUTHOR:

NAEVIUS, CNAEUS

TITLE:

DE BELLO PVNICO RELIQVIAE...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1854

Master Negative #

93-81319-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87N12
PE54

Bellum Poenicum.

Naevius, Cn~~eius~~.
Cn. Naevi De bello Pvnico reliqviae, ex recensione Ioannis Vahleni. Lipsiae, formis B.G. Teubneri, 1854.
20 p. 28½ x 22½ cm.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35
REDUCTION RATIO: 13x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4.23.93
INITIALS SS
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Naevius
De bello Punico reliquiae

CN. NAEVI

DE BELLO PVNICO RELIQVIAE.

EX RECENSIONE

IOANNIS VAHLENI.

LIPSIAE
FORMIS B. G. TEVBNERI
MDCCCLIV.

VIRO INLVSTRISSVMO

FRIDERICO RITSCHELIO

PER QVINQVE LVSTRA

DOCTORI PHILOSOPHIAE CLARISSVMO

QVA PAR EST OBSERVANTIA

GRATVLANTVR

SOCIETATIS PHILOLOGICAE BONNENSIS

SODALES PIENTISSVMI.

Nomina sodalium haec sunt:

I. BRANDIS. G. DRONKE. P. GRAVTOFF.
W. HARLESS. AEM. HVEBNER. THEOD. HVG. ARN. HVG.
H. ILBERG. I. KRVSE. A. PASSOW. C. SCHNELLE.
H. DE STEIN. G. THILO. I. VAHLEN.

FRIDERICO RITSCHELIO

IOANNES VAHLENVS

SALVTEM.

Adulescentum philologorum societas, quae et nata TVIS auspiciis et fauore TVO aucta Bonnae effloruit, me uoluit hunc diem festum, quo DOCTORIS gradum ante haec V lustra inisti, ipsius nomine TIBI congratulari. Nefas enim facturi et nobis et ceteris uideremur, si TIBI, cui tam insignis beniuolentiae uarietate obstricti simus, hoc die defuturi essemus. Immo desiderata nobis ea opportunitas uenit, qua liceat aliquando in interiore animi recessu fotos ac reconditos nostri in TE amoris et uenerationis sensus sincerissumos depromere. Etenim hoc sibi sumit discipulorum pietas, ut etiam ab aliis agnosci uelit, quanti eximii praeceptoris de se

merita faciant. Nec eam publicam grati animi testationem, qua ipsi leuare pectus nostrum uidemur, TIBI, VIR INLVSTRISSVME, parum acceptam fore confidimus. Qua re facilis, precamur, accipe uota nostra de TVA salute sanctissuma: ac nos in eorum numero habeas, qui tam operum TVORVM, quibus nomen TVVM aeternitati commendasti, praestantiam admirati, quam propensae uoluntatis studium erga omnes, qui nauiter TVAE disciplinae operam dare cupiunt, uenerati, semper felix numen, quo TVA ipsis institutio singularis contigerit, grate memores praedicabunt. Vale.

Bonnae die XI m. Iulii a. MDCCCLIV

CN. NAEVI

DE BELLO PVNICO RELIQVIAE

Comitem gratulationi nostrae Naeuii de bello Punico quantillam partem grammaticorum industria ab interitu uindicauit subieci. In qua opera ne plus expectaueris, quam aut uoluerim aut fortasse potuerim praestare, hoc scias me praecipue egisse, ut et rectius numerus uersuum constitueretur, et plenius ac certius tam de grammaticorum, qui Naeuii uersibus utuntur, testimoniis quam de librorum in his reliquiis scripturae uarietate constaret. Quorum si illud paulo felicius quam editores superiores instituisse uidebor, hoc TVA arte effectum est, qua fluctuantes ante de Saturniorum natura sententias inuenta e monumentorum indiciis norma constanti stabiliuisti. In quam normam non coëgi equidem inuitos uersus Naeuianos, sed an ei se subderent sua sponte periclitatus sum. Neque enim ea ratio inter monumenta scriptoresque aetate suppares intercedit, ut seruata in uniuersum illorum constantia non quaedam aut nouare aut liberius habere scriptores potuerint. Qua re poëtae usum ex ipsis reliquiis sciscitanti mihi non occurrit, qui ei formae obstinate refragaretur, uersiculus. Immo admissis eis, quas huic generi concessisti licentiis, contigit ut bonam partem reliquiarum, quas olim mutilos aut capite aut fine uersus haberent, integros restituerem: in quo non uereor peritorum reprehensionem, qui grammaticos si non omnes at multos nouerint plenos saepius quam dimidiatos uersus adferre. Altera operae meae pars in adnotatione duplici constat, quarum illam, qua uerba grammaticorum quam plenissume perscripsi, industriae meae ascribo, qua non detrectaui molestiam totiens grammaticorum uolumina de his reliquiis euoluendi: criticum autem apparatum in primis locupletem exhibere egregiorum uirorum Hertzii Keilii Fleckeiseni nescio utrum TVI studium an mei beniuolentiam potius dicam permisit. At tertium, quod iure solet ab eo, qui deperditi poëtae reliquias edit, expectari, ut e fragminibus speciem quandam integri carminis adumbret, prohibente et fragmentorum conditione et tempore animoque nunc non pertractaui. Etenim cum et paucissumae reliquiae sint e carmine non ita angusto et tam ambiguo pleraeque sensu ut Oedipodem sibi requirere uideantur, tum de notis librorum, unde proficisci debet qui caute non temere rem agere cupit, mirum quantum fides grammaticorum nos destituit. Nam cum a grammaticis in primum librum M' Valerius consul, in tertium inferatur Anchises, ad secundum Dido relegetur, contra Prochytae

mentio e primo citetur, qui his testimoniis superstitiosius adhaereat, uereor ut umquam possit carminis imaginem animo informare. Atque in his primis libris cum possis quaedam ratione contra testium auctoritatem efficere, in posterioribus ratiocinandi difficultas eo magis augetur, quo pauciora e singulis fragmenta laudantur. Itaque in his quidem ab coniectando abstinui omnino, quoniam non prolatis argumentis multa in hoc genere nouaturus facile hariolationis culpam incurrat.

Verum enim uero ne hodie TE ad haec fragmenta tantum relegem, quae TIBI aut grammatici testimonium aut scripturae uarietatem anquirenti fortasse operam aliquando non nihil leuabunt, ad lectionem autem suapte natura non comparata sunt, emendandi quaedam pericula mea adieci e leuiore critices genere et quod non magna molimina disputationis requirat, quod tamen et habet suam gratiam et TIBI ut noui placet, ut ei uiro, quem TV non magis amas quam ipse ueneror ac suspicio, Schopeno.

Ac primum Valerii Maximi non graui ulceri sed leuiori cuidam plagae mederi si potero periclitabor: qui VII 6, 1 quo 'abominandas necessitatis amarissimae leges' inlustret, in ipso limine capitis hoc usus est exemplo:

> Nam aliquot aduersis proeliis secundo Punico bello exhausta militari iuuentute Romana, senatus auctore Ti. Graccho consule censuit uti publice serui aduersum propulsandorum hostium impetum emerentur, eaque de re per tribunos plebis apud populum lata rogatione tres creati sunt uiri, qui quattuor et uiginti milia seruorum conparauerunt, adactosque iure iurando strenuam se fortemque operam daturos, quoad Poeni essent in Italia, datura arma in castra miserunt.

Vides in quo haeream: nihili enim haec sunt datura arma, quae more suo Kempfius tamquam archetypi scripturam in textu reposuit. Sententiae et conuenit et satis facit, quod unus e Kempfii libris (*E*) ac Torrenii editio praebent: datis armis: quod restituerem Valerio, si uiam dispicerem, qua illud in archetypi corruptelam abisset. Nunc aliud circumspiciendum, cum et illud, quod a perito ceteroquin Bernensis correctore prodiit, laturos arma, nisi contortula explicatione defendi non possit. Ego dum conditionem loci et archetypi sordes reputo, Valerii manum sic uideor suscitare: DATA ARMATVRA, eo sensu quo Torrenius datis armis refinxit. Licuit enim ut puto Valerio rarioris dictionis in primis studioso, uocem istam usurpare, quam dubitarem ea ui in Ciceronem, Liuium, alios eius aetatis scriptores inferre. Non ignorant illi quidem hanc uocem, sed de armorum genere ac forma aut ipsis armatis utuntur. In Valerio, quoniam eo ducit corruptela, non uereor eam uel sine exemplo reponere. Deprauationi autem potuit uel haec species datarma (tura) originem dare, nisi mera incuria librarii uicinarum uocum inter se fines permutauit. Quod genus corruptionis satis memorabile Lachmannus in Lucretio tetigit (II 275), in cuius libris subinde in hunc modum peccatum est, ut pro cadere in terram scriberetur caderem in terra aut umida linguai mutaretur in umidai lingua.

Secundum prodire Frontonem iubeo ut temptem quid emendando proficiam. Aurelius Caesar enim haec libri I epist. IX (p. 19 ed. Mediol., p. 11 sq. ed. Rom.) ad magistrum suum:

> De funere au . . . . damus. Sciat familia quem admodum lugeat. Aliter plangit seruus manumissus, aliter cliens laudaucatus, aliter amicus legat honoratus. Quid incertas et suspensas exequias agis? omnium animarum statim post mortem hereditas cernatur.

Repraesentaui uerba qualia se in codice suo Angelus Maius legisse testatur: in quibus multa sunt quae egeant emendatione. Sed eam uereor ut probe instituas, si in Mai commentis perstiteris: qui non tam sententiae necessitate quam specie quadam litterarum, fallaci saepissume, nisi ratione regatur, adductus pro laudaucatus reponit laudat uocatus et in legat latere luget suspicatur. Ergo missis istis, ut a sensu scriptoris proficiscamur, de funere agi adparet, Nigri Censorii opinor, de cuius obitu ac testamento Fronto epist. IV (p. 9 sqq. ed. Med.) ad Caesarem scripsit. Eundem de exequiarum ritu adierat: cui ille nunc respondet ita ut non modum aliquem funeris commendet, sed uiam indicet, qua Fronto ipse, quid rei conditioni conueniat, indagare possit. 'Quid incertas et suspensas exequias agis? omnium animarum statim post mortem hereditas cernatur.' Inde lacuna, quam significaui, sic rectius uidetur expleri: de funere autem NIHIL mandamus, quam cum Maio in hunc modum: de funere autem haec mandamus. Rationem cur non certius quid in ea re tradat magistro Caesar adiungit, quod familiae sit funus ordinare. 'Sciat familia quem admodum lugeat.' Cui sententiae quo concinnitas reddatur, scribe: sciat familia quem admodum DOMINVM lugeat. Ita enim solent inter se familia ac dominus opponi (cf. Cato de re rustica c. 5. Phaedrus III 19, 1): nec difficile dum syllabae uicinia d'nũ (h. e. dominum) extriuit. De proxumis illud in primis tenendum est, a plangendi uerbo totum enuntiatum pendere. Etenim hoc ait, diuersum esse hominum luctum pro diuersitate hereditatis. Nam manumissionem serui haud dubie dicit eam quae fiat testamento: qua de uide ueterum testimonia apud Brissonium de formulis p. 592. Nec dubito quin addita una litterula postrema sic recte restituam: aliter (sc. plangit) amicus LEGATO honoratus. Cf. Callistr. Dig. 48, 10, 15 'qui per seruum uel filium dictante testatore legato honoratur.' (Forcellin. Lex.) Vt propter aequabilitatem sententiae etiam clienti probabile sit additum fuisse, quod hereditate ei contigerit. Ac circumspicienti mihi quid aptius memorari adoptione potuerit non inuenio: quam olim ut manumissionem subinde etiam testamento decretam esse iure consulti edocent. Cf. Brissonius de formulis p. 574. Qua re licet non in promptu sit clientis adoptati exemplum (sed cur clientes minus quam alios adoptari potuisse credam?), Caesaris uerba ita reparo confidenter: aliter (sc. plangit) cliens ADOPTATVS. Neque eam corruptae grauiter uoculae medellam tam uiolentam esse, quam uideatur alicui, earum rerum periti concedent. Itaque adhibita quam proposui emendatione haec totius loci species emergit:

De funere autem NIHIL mandamus: sciat familia quem admodum DOMINVM lugeat: aliter plangit seruus manumissus, aliter cliens ADOPTATVS, aliter amicus LEGATO honoratus. Quid incertas et suspensas exequias agis? omnium animarum statim post mortem hereditas cernatur.

In triade emendationum nunc desinere placuit. Itaque Vellei Paterculi locum ascripsi (II 28), quem codex ualde corruptum tradidit:

> Primus ille et utinam ultimus exemplum proscriptionis inuenit, ut in qua ciuitate petulantis conuicii iudicium historiarum (siue historiarium) ex alto redditur, in ea iugulati ciuis reip. constitueretur auctoramentum.

Sensum scriptoris elegans ille et ingeniosus Vellei emendator, Dauid Ruhnkenius, uel e sordibus dispexit: 'quae ciuitas ciues suos tanta cura defendere solebat, ut etiam personae infami, histrioni, aduersus eum a quo petulanter exactus esset, agendi potestatem faceret, ea iam percussores praemiis propositis ad ciues iugulandos inuitabat.' Cui illud quoque debetur, quod pro his ciuis reip. nunc ciuis Romani legitur: cum Puteanus ciuis Romani publice praeisset. Superiora illa historiarum ex alto primus temptauit editor Basileensis ita rescribendo: histrioni exoleto: de quibus prorsus meum facio Ruhnkenii iudicium: 'optime histrioni, pessime exoleto.' Sed is uereor ut prospere diuinarit, cum exacto reponat pro ex alto. Vsum quidem uerbi eleganti, ut adsolet, exemplorum delectu inlustrauit: ac subscriberem coniecturae, nisi admodum otiose ea uox addita uideretur. Neque uero desideratur quicquam quo histrio significetur definitius. At cum id agat Velleius, ut infami personae ciuem Romanum opponat, quo infamiae notio in primis urgeatur, potuit alterum eiusdem generis hominem histrioni in societatem adiungere. Cui sententiae fauent maxime litterarum apices, e quibus ET SALTATORI redditur elicio.

Tantum est: ac si in his erit quod calculo TVO probaueris, laetabor: sin minus, gratus TVAM accipiam reprehensionem.

FRAGMENTA

E LIBRO PRIMO

I*

Nouém Iouís concórdes - fíliaé sorótes

II*

Postquám aués aspéxit - ín templo 'Anchísa,
Sacra ín mensá Penáti - um órdine pónúntur:
Aurátamque ínmolábat - uíctimám púlcram.

III*

Res díuas édícit - praédícit cástus

LIBRI I I Marius Victorinus de Saturnio uersu p. 2587 P. (191 G.) 'nostri . . . durissimos fecerunt, etiam alios longos, alios breuiores inseruerunt, quorum est hic . . . et apud Naeuium: nouem' e. q. s. Cf. idem p. 2588 P. (192 G.) 'iam nunc uocet Camoenas quis nouem sorores.' Atilius Fortunatianus de Saturnio uersu p. 2680 P. (324 G.) 'apud Naeuium poëtam hos repperi idoneos: (I fr. XIII) et alio loco: nouem' e. q. s. Cf. Terentianus Maurus u. 2514 Lachm. 'ut si uocet Camenas quis nouem sorores.' In initio carminis reposuit editor Lipsiensis II Probus in Verg. Ecl. 6, 31 p. 14 Keil. 'poëta Ennius Anchisen augurii ac per hoc diuini quiddam habuisse praesumit sic: doctusque' e. q. s. 'Naeuius belli Punici libro tertio sic: postquam' e. q. s. Cynthius Cenetensis in Verg. Aen. II 687 (A. Mai auct. class. VII 386) 'Anchises uates fuit auctor diuinandi. Ennius: doctusque Anchises uenis. Et Naeuius belli Punici lib. III: templo . . . ponuntur.' Cf. Schol. Veron. in Aen. II 687 p. 90 Keil. 'peritum multarum disciplinarum Anchisen fuisse [et diuini quiddam habuisse probare po]ssunt Naeu[ius et Ennius in an.] qui ita de co ait: doctus Anchisa' e. q. s. Ad primum librum referunt editores praeter Klussmannum, qui dum seorsim a ceteris iudicare uult, nugas excogitauit III Nonius p. 197, 15 'castitas et castimonia generis feminini. Masculini Varro rerum diuinarum lib. I: nostro ritu sunt facienda quam his ciuilibus, Graeco castu. Idem: et religiones et castus id possunt, ut ex periculo eripiant nostro. Neuius carmine Punici belli: res' e. q. s. Anchisam dicit, ni fallor, poëta: pium Aeneam agnoscere sibi uisus est Klussmannus, castus (h. e. caerimonias) perperam intellegendo

---

1 nauem *Vat.* 5216 *et* 3402 *Fortunat.* noueimoues *Par. Victorini* 2 aues *H. Keilius.* autem *Par.* auem *ceteri.* auium *G. Hermannus Elem. doctr. metr. p.* 632 in templo] templa *Hermannus* Anchisa] *Cf. Quintilianus I* 5, 61 *Charisius I p.* 8 *P.* (9 *Lind.*) Anchises *Vat. Probi* 3 inmensa *Cynthius* *De sacris mensis cf. Festus p.* 157 *M.* 4 auratamque immolabat *H. Keilius.* immolabat auream *libri.* immolabat Auratam *Hermannus* pulchram *libri* postquam áuium adspexit témpla Anchíses, sacra in mensa | Penátium ponúntur órdine: immolabat | A. u. p. *Hermannus et Schuettius, nisi quod hic* postquam | Auem asp. de templo *et* pulcramque *scribit. Cf. qui nimium emendandi in his uersibus licentiae indulsit Scaliger ad Varr. de L. L p.* 124 5 *Suppressa in utroque hemistichio thesi una integrum uersum exhibui*

IV

Eí uenít in méntem - hóminum fórtúnas

V*

- .' ambórum uxóres
Noctú Troiád exíbant - cápitibús opértis
Flentés ambaé abeúntes - lácrimis cúm múltis

VI

Eorúm sectám secúntur - múlti mórtáles

* * *

- múlti alií e Tróia
Strenuí uirí . .' . -

* * *

Vbí forás cum aúro - ílluc éxíbant

VII*

Seruius in Aen. I 170 'nouam tamen rem Naeuius bello Punico dicit, unam nauem habuisse Aeneam, quam Mercurius fecerit.'

VIII*

Senéx fretús pietátei - dèum ádlocútus súmmi
Deúm regís fratrém Nep - túnum régnatórem
Marúm

IV Priscianus VI p. 679 P. (I 221 Kr.) 'eiusdem id est primae declinationis femininorum genetiuum etiam in as more Graeco solebant antiquissimi terminare . . . Liuius — Naeuius in carmine belli Punici primo: [XVIII] in eodem: ei ... fortunas pro fortunae.' (furtunae Sangall. Lugd. Karolir.) Ad Aeneam de rerum Troianarum ruina reputantem haec refero cum Klussmanno V Seruius in Aen. III 10 'amat poëta quae legit inmutata aliqua parte uel personis ipsis uerbis proferre. Naeuius enim inducit uxores Aeneae et Anchisae cum lacrimis Ilium relinquentes his uerbis: amborum . . . multis. Hoc iste Aeneam eodem in tempore eiusdem rei causa induxit fecisse eum dixit: [III 10].' VI Seruius in Aen. II 797 'sane adamat poëta ea quae legit diuerso modo proferre. Naeuius belli Punici primo de Anchisa et Aenea fugientibus haec ait: eorum . . . mortales: ecce hoc est inuenio admirans numerum. multi . . . uiri: ecce hi sunt animis parati. ubi . . . exibant: ecce et opibus instructi.' Haec tria esse fragmenta non magno interuallo olim conexa G. I. Vossius uidit Castig. in trag. uet. p. 77: de quibus cum editore Lipsiensi Schnettioque allucinatur Klussmannus. Hermannus non nisi primum uersum exhibet VIII Priscianus VII p. 770 P. (I 343 Kr.) 'inueni marum pro marium, qui tamen in raro est usu genetiuus, apud Naeuium in carmine belli Punici:

6 ei uenit] uuenit *Bern. m. pr.* euenit *Lugd. Sangall. m. alt.* uenit *Sangall. m. pr.* mente *Amien. Bern. Sangall. Lugd. Karolir.* furtunas *Sangall. Lugd.* 8 Troiad *Vossius Castig. p.* 76. Troiade *exemplaria* amborum | Vxóres noctu Tróiad éxibant capitibus | Opértis flentes ámbae, abeúntes lacrimis multis *Hermannus* 10 eorum] *bisyllabum, cf. Lachmannus in Lucr. VI* 456 sequuntur *exemplaria* *Truncatum syllaba uersum exhibet Hermannus* 11. 12 *Versus disposui* 13 illuc] *An* illinc? 14 pietatei] pietati *Par. et Halberst. m. pr. Lugd. Karolir. Bamb.* pietate *Par.*

IX*

Seruius in Aen. I 198 'o socii . . . et totus hic locus de Naeuio belli Punici lib. translatus est.'

X

Macrobius Sat. VI 2 p. 514 Jan. 'sunt alii loci plurimorum uersuum quos Maro in opus suum cum paucorum inmutatione uerborum a ueteribus transtulit . . . . in principio Aeneidos tempestas describitur, et Venus apud Iouem queritur de periculis filii, et Iuppiter eam de futurorum prosperitate solatur. Hic locus totus sumptus a Naeuio est ex primo libro belli Punici. Illic enim aeque Venus Troianis tempestate laborantibus cum Ioue queritur et secuntur uerba Iouis filiam consolantis spe futurorum.'

XI*

Patrém suúm suprémum - óptumum ádpéllat:

XII*

Seruius in Aen. IV 9 'Anna soror. Cuius filiae fuerint Anna et Dido Naeuius dixit.'

XIII*

Ferúnt pulcrás cretérras - aúreás lepístas

senex . . . marum pro marium.' Ad Anchisam qui in soluenda naue Neptunum adloquatur Schuettius Klussmannusque rettulerunt XI Varro de L. L. VII 51 M. 'Naeuius: patrem' e. q. s. 'supremum a superrumo dictum.' De Venere elatum suspicatur Klussmannus XIII Plotius de metro Saturnio p. 2650 P. (282 G.) 'Saturnium compositum uel mixtum ex iambico metro et trochaico, iambico dimetro amphicolo Hipponactio catalectico et trochaico dimetro brachycatalecto ithyphallico, hoc est tribus trochaeis composuit Naeuius hoc modo: ferunt . . creterras. Huc usque Hipponactium amphicolum dimetrum catalecticum iambicum est. Nam quod sequitur trochaicum dimetrum brachycatalectum ithyphallicum, tale est: aureas lepistas. Nouissima syllaba indifferens. Totus uersus sic: ferunt . . . lepistas. et malum' e. q. s. (nouissima . . . et malum om. Sangerm.) Atilius Fortunatianus de Saturnio uersu p. 2680 P. (324 G.) 'apud Naeuium poëtam hos repperi idoneos: ferunt . . . lepistas et alio loco: nouem . . . sorores.' Marius Victorinus de Saturnio uersu p. 2587 P. (191 G.) 'nostri . . . durissimos fecerunt, etiam alios longos, alios breuiores inseruerunt, quorum est hic: turdis edacibus dolos comparas amice. Item: ferunt . . . lepistas. Et apud Naeuium: nouem . . . sorores.' Haec postrema ita uidentur emendanda: et apud Naeuium: ferunt . . . lepistas. item: nouem . . . sorores. Ad conuiuium ab Didone propter Aeneam paratum refero cum Klussmanno conl. Verg. Aen. I 724: nisi quod ille haec ad secundum librum pertinere statuit

et Halberst. m. alt. ut uulgo adlocutus *Par. m. pr. Halberst. Bamb.* allocutus *uulgo* 17 supremum optumum appellat *Flor. et, nisi quod* optimum, *Haun.* optimum appellat supremum *uulgo* 18 feriunt *Leid. Plotii priore loco* pulchros *Vat.* 5216 *Fortunatiani.* pulchras *ceteri* creterras] *cf. Paulus Festi p.* 53 *M. Nonius p.* 547, 28. craterras *Plotius alt. loco: cf. supra.* crateras *Sangerm. Plotii pr. loco.* pateras *Fortunatianus* aereas *Vat.* 5216 *Fortunat.* aureasque *Mar. Victorinus* lepistas] *cf. Varro de L. L. V* 123 *M. Paulus Festi p.* 115 *M.* lepidas *Fortunatianus, nisi quod* lepistas *Vat.* 5216

XIV*

Blande ét docté percóntat - Aéneás quo pácto
Troiam úrbem líquerít . -

XV*

Lactantius diu. inst. I 6 p. 142 Mign. 'quartam' (sc. Sibyllam) 'Cimmeriam in Italia, quam Naeuius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat.'

XVI

Seruius in Aen. IX 715 'Prochyta . . . . hanc Naeuius in primo belli Punici de cognata Aeneae nomen accepisse dicit.' Cf. Aurelius Victor de orig. gentis Rom. c. 10

XVII

- .' . síluicolae hómines
Bellíque inértes .' . -

XVIII

Inéránt sígna expréssa - quó modó Titáni
Bicórporés Gigántes - mágníque Atlántes
Runcús ác Purpúreus - fílií térras

XIV Nonius p. 335, 2 'liquerit significat et reliquerit. Accius . . . Neuius belli Poenici lib. II: blande' e. q. s. Idem p. 474, 6 'perconta. Nouius . . . Neuius belli Punici lib. II: blande' e. q. s. Didonem designari ante Niebuhrium Hist. Rom. I 222 sq. Lipsius Ant. lect. I 2 animaduertit: qua re, quod Merula p. 50 uoluit, ad primum librum ascribo. De Latino uel Euandro cogitabat Klausenus de Aen. et Penat. I 515 XVII Macrobius Sat. VI 5 p. 528 Jan. 'siluicolae Fauni. [Aen. X 551] Naeuius belli Punici libro primo: siluicolae' e. q. s. Ita Italiae gentes a poëta significantur XVIII Priscianus VI p. 679 P. (I 221 Kr.) 'eiusdem id est primae declinationis femininorum genetiuum etiam in as more Graeco solebant antiquissimi terminare . . . Liuius — Naeuius in carmine belli Punici I: inerant . . . terras pro terrae.' (I om. Par. m. pr. I (o supra) Par. m. alt. prim* Sangall. m. pr. primo Sangall. m. alt.) Idem VI p. 689 P. (I 236 Kr.) 'Titanus quoque pro Titan dicebant. Vnde Naeuius in carmine belli Punici primo: inerant . . . Atlantes.' (punici. Primo inerant Amien.) Hanc esse particulam e descripto Aeneae scuto Niebuhrius Hist. Rom. I 218 arbitratur: alii alia excogitarunt.

---

19 Aeneas *Merula p.* 50. Aenas *libri p.* 335, *nisi quod* enos *cod. Merceri.* Ennius *W* (*h. e. Wolfenbuttelanus*) *p.* 474. Aen' *ceteri ibidem.* Aeneam *Carrio Ant. lect. III* 10. em (*h. e.* eum) *Lipsius Ant. lect. I* 2 20 reliquisset *libri p.* 474 23 exp̄sa *Sangall. Lugd. utroque loco, Karolir. p.* 689 tritani *Par. p.* 679 (*punctum m. alt.*). tytanii *Bern. ibidem.* titani[i] *Lugd. ibidem.* titanus *in* titani *corr. Karolir. p.* 689 . ínerant signa expréssa *Hermannus.* inerant sígna expréssa *O. Muellerus ad Varr. de L. L. VII* 16 *et ad Fest. p.* 397 24 bicorpore *Par. m. pr. Amien. Halberst. Sangall. Lugd. Karolir. p.* 679. *Bern. m. pr., corr. m. alt. p.* 689 gygantes *Par. Bern. p.* 689 magni*que *Lugd. p.* 679 Atlantes *Sangall. m. alt. p.* 679. adlantes *Par. p.* 689. athlantes *Amien. Bern. Sangall. Lugd. utroque loco, Halberst. p.* 679, *Karolir. p.* 689. athlatentes *Halberst.* adquelantes (t supra) *Par. p.* 679 25 rhuncus *Amien. Bern. Sangall. Karolir.* rhumeus *Par.* rumchus *Halberst.* rhu*cus (m supra) *Lugd.* ac *O. Muellerus.* atque *libri*

E LIBRO SECVNDO

I

Iamque eíus mentém fortúna - fécerát quiétem.

II*

Manúsque súsum ad caélum - sústulít suás rex
Amúlius: grátulátur - díuis

III*

Seruius in Aen. I 273 'Naeuius et Ennius Aeneae ex filia nepotem Romulum conditorem urbis tradunt.'

IV*

Varro de L. L. V 43 M. 'Auentinum aliquot de causis dicunt. Naeuius ab auibus, quod eo se ab Tiberi ferrent aues.'

V*

Varro de L. L. V 53 M. 'quartae regionis Palatium . . . eundem hunc locum a pecore dictum putant quidam: itaque Naeuius Balatium adpellat.' Balatium Flor. Haun. Balantium ceteri

VI

Prima íncédit Céreris - Prósérpiná puer

LIBRI II I Priscianus VI p. 704 P. (I 255 Kr.) 'inquies, cuius extremam corripi dicit Probus, inquietis declinatur, quod trium factum est generum, ut supra ostendimus, cuius etiam simplex in usu inuenitur trium generum. Naeuius in carmine belli Punici II: iamque' e. q. s. (I Bern. Halberst. Karolir. Bamb.) Aeneae mentem, debellato cum Italiae gentibus, quietam euasisse dicit poëta II Nonius p. 116, 30 'gratulari, gratias agere. Ennius . . . Neuius belli Punici lib. III: manusque' e. q. s. VI Priscianus VI p. 697 P. (I 248 Kr.) 'non est tamen ignorandum, quod etiam hic puerus, hic et haec puer uetustissimi protulisse inueniuntur, et puellus puella . . . Naeuius in II belli Punici: prima' e. q. s. in VI Nestoris Nouariensis gloss. apud Merulam p. 53 et 410 et P. Scriuerius in mg. exemplaris Hermanni: VI sic diserte ms. Prisc. exempla

---

porpureus *Sangall. Lugd Karolir.* purporeus *Halberst.* pur, *rel. om., Par., m. alt. add.* Bic. Gig. mágnique Átlántes | Rhúncus ác Purpúreus, fílií térras *O. Muellerus. cf. Bentleius in Hor. carm. II* 19, 23. Bic. Gig. mágni Atlantes, Runcus | Purpúreus, filií terrás . . . . . *Hermannus* 26 *Versum disposuit E. S.* eius] eis *Bamb. Est monosyllabum, cf. Lachmannus in Lucr. I* 149 furtuna *Sangall. Karolir.* fortunam *Par.* (*punctum m. alt.*) furtuna fecerat (fecit supra) *Lugd.* iamque eius mentem | Fortúna fecerát quietém, *ut breuis sit* quietem *uocis media syllaba, Hermannus* 27 manusque *Merula p.* 420. isque *libri.* is qui *Junius* sustulit *om. Leid.* rex *Stephanus.* res *libri* 28 Amulius *Stephanus.* Ammullus *libri.* Romulus *Mercerus.* Attilius *Merula, idem de Mamilio et Aemilio cogitans* gratulatur *Hermannus.* gratulabatur *libri* 29 incedet *Sangall. Lugd.* Cereris] ceteris *Par. m. pr.* caeteris *m. alt.* cereris grauida proserpina *Sangall.* pro*serpina *Halberst.* puer proserpina *Lugd.* prima íncedit Cererís Prosérpina puer . . *Hermannus*

VII

Dein pólléns sagíttis - ínclutús arquítenens
Sanctús Delphís prognátus - Pýthiús Apóllo.

E LIBRO TERTIO

I

Simúl atrocía porrícerent - éxta minístratóres

II*

scópas átque - ságmina súmpsérunt

III*

- Márcu'_ Valériu'_ cónsul
Partém exérciti in éxpe - dítiónem dúcit.

cf Cicero's poetry
Later he calls this
"subrusticum"

IV*

Seséque eí perire - máuolúnt ibídem
Quam cúm stupró redíre - ád suós populáris.

VII Macrobius Sat. VI 5 p. 528 Jan. 'quam pius arquitenens. [Aen. III 75] hoc epitheto usus est Naeuius belli Punici libro secundo: dein' e. q. s. 'idem alibi: cum tuis sagittis arquitenens pollens dea.' (Cf. O. Ribbeckius Naeu. trag. inc. nom. III) Hos uersus olim cum VI cohaesisse opinatur Merula

LIBRI III I Nonius p. 76, 5 'atrox crudum. Neuius belli Poenici lib. III: simul' e. q. s. (Phoenicis lib. IIII Bamb.) II Paulus Festi p. 320 M. 'sagmina dicebant herbas uerbenas, quia ex loco sancto arcebantur legatis proficiscentibus ad foedus faciendum bellumque indicendum, uel a sanciendo id est confirmando. Naeuius: scopas' e. q. s. Festus p. 321 M. 'sagmina uocantur uerbenae, id est herbae purae, quia ex loco sancto arcebantur a consule praetoreue, legatis proficiscentibus ad foedus faciendum bellumque indicendum, uel a sanciendo id est confirmando. Naeuius: ius sacratum Iouis iurandum sagmine.' Apud Festum perisse Naeuii uersum apertum est: quem adfert, non Naeuii nec Saturnius est. Cf. O. Ribbeckius Trag. inc. inc. fab. CXXI. Ille si recte ad bellum Punicum refertur, ad legatos Poenis bellum indicentes pertinet III Charisius I p. 103 P. (73 Lind.) 'exerciti genetiuo' (·gn· cod.) 'Naeuius belli Punici libro primo: Marcus' e. q. s. Haec ex initio belli desumpta. Vid. Eutropius II 19 Polybius I 16. cf. Klussmannus IV. V Festus p. 317 M. 'stuprum pro turpitudine antiquos dixisse apparet in Nelei carmine — Naeuius: seseque' e. q. s. 'item: sin' e.

---

30 dein *Merula p.* 53 *et* 410. deinde *libri* inclytus *libri* arcitenens *Anglic.* architenens *Salisb. Possis etiam sic dimetiri:* ínclutus árquítenens: *quamquam legitima* us *finalis productio, cf. Enn. Ann.* 90 31 sanctusque *libri* Pythius] *Naeuius uidetur* Putius *scripsisse; cf. Gloss. Placidi* (*A. Mai auct. class. III* 492) '*Putium, Pythium, Apollinem*' deinde pollens | Sagíttis, inclutus árquitenéns, sanctusque Delphis | Prognátus Pythius Apóllo *Hermannus, ut* Pythius *bisyllabum efferatur*

32 porricerent *Junius.* proicerent *libri.* prosicerent *Mercerus* exta *Bamb., Junius.* extra *ceteri libri* 33 scopas *Scaliger.* scapas *Guelf.* scabos *Monac.* scapos *A. Augustinus* atque uerbenas sagmina *uulgo, in quibus* uerbenas *interpretamentum uideri monet Hermannus* Scópas ác uerbénas - s. s. *O. Muellerus ad Festum p.* 397, *quod rectius sic dimetiare:* scopás ác uerbénas 34 Marcu'] M. *cod.* Maniu' *Merula p.* 92 *et* 398 . . . Maniús Valérius consul partem | Exérciti in expedítiónem ducit *Hermannus* 36 ei] i *cod.* ii *Vrsinus.* iei *O. Muellerus* 37 stupro *Vrsinus.* strupro *cod.*

V*

Sin íllos déseránt for - tíssumós uirórum,
Magnúm stuprúm pópulo - fíerí per géntis

E LIBRO QVARTO

I

Transít Melitám Románus - ínsulam íntegram ómnem
Vrít populátur uástat - rem hóstiúm concínnat.

II

Vicíssatím uoluí uic - tóriám . .′ .

III

- .′ . uérum praétor
Aduénit, aúspicát au - spícium prósperúm :

IV

Eám carném uictóri - bús danúnt . .′ .

q. s. Horum uersuum sedem ac sententiam Klussmannus indagauit: illis enim legiones in angustiis ad Camarinam obsessas dici: hos autem e Calpurnii Flammae cohortatione ad milites esse arbitratur: 'moriamur milites et morte nostra eripiamus ex obsidione circumuentas legiones.' Cf. Freinshemii Suppl. Liuii VII 23

– LIBRI IV I Nonius p. 90, 27 'concinnare conficere uel colligere. Neuius belli Poenici lib. IIII: transit' e. q. s. Cf. Orosius IV 8 'Atilius (Regulus) consul Liparam Melitamque insulas Siciliae nobiles peruagatus euertit.' II Nonius p. 183, 15 'uicissatim per uices. Neuius belli Punici lib. IIII: uicissatim' e. q. s. Haec conueniunt Reguli sorti III Nonius p. 468, 27 'auspicaui pro auspicatus sum — Naeuius belli Poenici lib. IIII: uerum' e. q. s. IV Nonius p. 97, 18 'danunt dant . . . . Naeuius belli Poenici lib. IIII: eam' e. q. s.

Hermannus mutilum in fine uersum exhibuit 38 deseritis *Scaliger* fortissimos *cod.* uirorum *Scaliger.* uiros *cod.* 39 magnum inde *Scaliger* poplo *Scaliger* fieri] *producta prima syllaba, cf. Enn. Ann.* 15 per gentis *O. Muellerus.* pergentis *cod.* pergetis *uulgo* magnúm stuprum popló fierí pergetis . . *Hermannus* 40 Romanus exercitus *libri* omnem *om. libri* 41 et uastam rem *Merula p.* 421 transít Melitam Románus exércitus, insulam integram | Vrít, populatur, *coalescente ultima prioris uersus syllaba cum uersu sequenti, Hermannus* 43 uerum *Junius mg.* uirum *libri.* ubi cum *Merula* 44 aduenit *Merula.* adueniet *libri* prosperum *om. post Junium Merula, Hermannus*

E LIBRO QVINTO

I*

díeta-tór ubi cúrrum insídit
Peruéhitur úsque ad óppi-dúm . .' . .' .

E LIBRO SEXTO

I

. séptumúm decumum ánnum - ílicó sedént .

II

Supérbitér contémptim - cónterít legiónes.

III

- .' conuénit régnum
Simul átque locós ut habéret -

IV

Censét eó uentúrum - óbuiám Poénum

LIBRI V I Varro de L. L. V 153 M. 'in circo primo unde mittuntur equi, nunc dicuntur carceres, Naeuius oppidum adpellat. Carceres dicti, quod coërcentur equi, ne inde exeant ante quam magistratus signum misit. Quod ad muri speciem pinnis turribusque carceres olim fuerunt, scripsit poëta: dictator' e. q. s. De Naeuii bello Punico uersum esse Hermanni suspitio est: cuius uersus nexum monstrauit I. V. Franckius in Blumii libro (Einleitung in Roms alte Geschichte) p. 55 sq. Dictatorem enim Claudium Gliciam putat, qui 'coactus abdicare se magistratu postea ludos praetextatus spectauit.' Cf. Liuii lib. XIX periocha

LIBRI VI I Nonius p. 325, 5 'ilico in eo loco. Naeuius belli Poenici lib. VI: septimum' e. q. s. (lib. III Basil.) Refert Klussmannus ad Aurelium Cottam Seruiliumque Geminum, qui a. 506 h. e. anno belli septumo decumo Siciliam placide obtinebant. Cf. Zonaras VIII 16 p. 159 ed. Bonn. II Nonius p. 515, 10 'superuiter. Afranius . . . Neuius belli Poenici lib. VI: superbiter' e. q. s. Idem p. 515, 33 'contemptim contemnenter. Neuius belli Poenici lib. VI: superbiter' e. q. s. III Nonius p. 211, 3 'loca generis sunt neutri . . . masculini . . . Neuius belli Punici lib. VI: conuenit' e. q. s. Pertinere uerba ad foedus a Romanis cum Hierone ictum Merula p. 439 uidit: quamquam non debebat ideo in septumo fragmentum conlocari. Cf. Zonaras VIII 16 p. 159 ed. Bonn. IV Nonius p. 267, 18 'censere significat existimare, arbitrari . . . . Neuius Poenici belli lib. VI: censet' e. q. s.

---

46. 47 *Versus disposuit Hermannus* dictator | Vbi (ubei) currum insidit, peruehitur usque ad oppidum *O. Muellerus* oppidum] *Cf. Gloss. Placidi* (*A. Mai III* 475) '*iuxta oppidum. prope carceris*' 48 septimum decimum *libri, nisi quod* septimum, *om.* decimum, *Basil.* sedent] *An sederunt?* 49 superuiter *libri utroque loco* contemptim *editiones.* contentim *libri superiore loco.* contemtim *altero* 51 ut] non *Leid.* haberet *Merula.* haberent *libri* *In metrum Saturnium uerba, quae bonum hexametrum praebent, coëgit Hermannus: transpositione adhibita possis hunc integrum Saturnium effingere:* conuénit út simúl reg-num átque locós habéret 52 censet *Gen. Leid. W, sed in hoc* u *superscr.* censuit *Bern. b.* censent *ceteri* Poenum *om. Stephanus*

E LIBRO SEPTVMO

I*

Gellius XVII 21, 45 'anno deinde post Romam conditam quingentesimo undeuicesimo . . . eodemque anno Cn. Naeuius poëta fabulas apud populum dedit, quem M. Varro in libris de poëtis primo stipendia fecisse ait bello Poenico primo, idque ipsum Naeuium dicere in eo carmine, quod de eodem bello scripsit.'

II

Id quóque paciscunt moénia - sínt Lutátiúm quae
Recónciliént: captíuos - plúrimós ídem
Sicílienséś pacíscit - óbsidés ut réddant.

EX INCERTIS LIBRIS

I

- súmme deúm regnátor
Quianám genuísti .' . -

II

Magnámque domúm decorémque - dítem uéxárant.

III*

conférre-queánt ratem aératám qui
Per líquidum máre sudántes - átque eúnt sedéntes.

LIBRI VII II Nonius p. 474, 16 'paciscunt. Naeuius belli Poenici lib. VII: id quoque' e. q. s. (Neuius belli Punici Bamb.) De pace per Lutatium facta dici apertum

EX INCERTIS LIBRIS I Festus p. 257 M. 'quianam pro quare et cur positum est apud antiquos ut Naeuium in carmine Punici belli: summe' e. q. s. II Priscianus VI p. 699 P. (I 250 Kr.) 'inuenitur tamen etiam simplex decor decoris penultima correpta apud uetustissimos, quando pro decorus decora decorum accipitur. Naeuius in carmine belli Punici: magnamque . . . uexarant; aliter enim iambus stare non potest.' Lexicographus Vatic. (A. Mai auct. class. VIII 165) 'item a uerbo decet hic decor ris, quod etiam communis generis inuenitur: unde Naeuius: magnamque' e. q. s. III Varro de L. L. VII 23 M. 'ratis nauis longas dixit, ut Naeuius quom ait: conferre' e. q. s. 'ratis dicta nauis longa propter remos.' Naeuius] Ennius edd. uet. Videtur ad initium belli referendum

---

53 paciscunt moenia *editiones.* paciscunt urmoenia *libri.* paciscunt ut moenia *Mercerus* sint (sin *Bamb.*) quae Lutatium *libri.* assint quae Lutatium, *ut hoc nomen ultimis syllabis contractis pronuntietur. Hermannus* 54 reconcilient *Hermannus.* reconciliant *libri* idem *compunctum in W, om. Mercerus.* eidem *Hermannus* 56 *sq. Versus disposuit Scaliger* 57 genuisti *Scaliger.* genus isti *cod.* 58 magnam^{que} *Lugd. Karolir. m. alt.* magna quae *Par. m. pr., corr. alt.* magnam *Sangall. Karolir. m. pr. Prisc.* uex*rant *in* uexarant *mut. Halberst.* uexarant '*plures libri*' *Prisc. Krehlii.* uexerant *uulgo.* duxerat *Lexicogr. Vatic.* 59 conferre queant *Turnebi cod.* conferreque aut *libri relicui. cf. O. Muellerus Add. ad Varr. p.* 303 60 per liquidum *Scaliger, qui ceteroquin magna audacia Ennii, quem opinabatur, hexametros duos exsculpsit.* perit (parit *Par. b*) et (*om. Par. a*) qui dum *codd.* atque eunt *O. Muellerus.* eunt atque *libri* sedentes *editiones.* sedantes *codd. omnes*

IV

. .' pulcrámque ex aúro - uéstémque citrósam.

V

Onerárиаé onústae - stábant ín flústris.

VI*

Simúl aliús aliúnde - rúmitánt intér se.

VII

Pleríque omnés subigúntur - súb suúm iudícium.

VIII

. .' . .' quod brúti - néc satís sardáre
Queúnt

IX

fames ácer
Augéscit hóstibús . -

IV Isidorus Orig. XIX 22 p. 601 Lind. 'citrosa quasi concrispa ad similitudinem citri. Naeuius: pulcramque' e. q. s. Lexicographus Vatic. (A. Mai auct. class. VIII 116) 'item a cis haec citeria . . . et citrosus a um ·i· crispus et decorus, unde Naeuius: pulcramque' e. q. s. Macrobius Sat. III 19 p. 352 Jan. 'quod ait Oppius inter uestem poni citreum, idem significat Homerus cum dicit *εἵματα δ' ἀμφιέσασα θυώδεα σιγαλόεντα*. Hinc et Naeuius poëta in bello Punico ait citrosam uestem.' Cf. Paulus Festi p. 42 M. V Isidorus de natura rerum c. 44 p. 1014 Mign. 'flustra motus maris sine tempestate fluctuantis. Naeuius in bello Punico sic ait: onerariae . . . flustris, ac si diceret in salo.' Punico sic ait] Pontico in inscriptione quod ait cod. Oxon., unde hoc fragmentum quod uocant Suetonii post F. A. Wolfium Sueton. III 77 et O. Muellerum Fest. p. 382 Langensiepenus Mus. philol. V 247 edidit, qui Punico in descriptione quadam ait emendat: idem cod. pro salo exhibet sola. Placidi gloss. (A. Mai auct. class. III 475) 'in flustris in porta.' (immo in portu) Cf. Paulus Festi p. 89 et Tertullianus de pallio c. 2 VI Paulus Festi p. 271 M. 'rumitant rumigerantur. Naeuius: simul' e. q. s. Festus p. 270 M. '[rumitant significat rumigera]ntur, ut Nae[uius: simul alius aliunde rum]itant inter [se].' Cf. H. Keilii Suppl. Festi Mus. philol. VI 624 VII Donatus in Ter. Andr. I 1, 28 'plerique omnes . . . Naeuius' (nec unus Par. a. heuius Par. b) 'in bello Punico: plerique' e. q. s. VIII Paulus Festi p. 323 M. 'sardare intelligere. Naeuius: quod' e. q. s. Festus p. 322 M. '[sardare] intellegere [significat. Nae]uius belli Pu[nici libro . . . quod] bruti nec satis [sardare queunt]'. Cf. H. Keilius l. l. p. 625. Varro de L. L. VII 108 M. 'multa apud poëtas relicua esse uerba, quorum origines possint dici, non dubito, ut apud Naeuium in Hesiona . . . in bello Punico: nec satis sarrare; ab serare dictum id est aperire: hinc etiam serae, qua remota fores panduntur.'
IX Priscianus V p. 647 P. (I 179 Kr.) 'acer et alacer . . . quamuis alacris et acris plerumque faciant . . .

61 pulchramque *Arcual.* pulchroque *Guelf. a b.* pulchraeque *ed. princ.* pulchram *uulg. Isidori.* puram *Lexicogr. Vatic.* citrosam uestem *Macrobius* 62 onerariae onustae *uulgo.* honerariae honustae *cod. Oxon.* onerariae et oneratae *cod. Alban.* stabunt *aliq. libri* *De hiatu cf. Ritschelius Proleg. in Trin. p. CXCIX* 63 itant inter *Festi cod. rel. extinctis* se *uulg. Pauli.* sese *'boni codd.'* 64 plerumque *Par. a* subigunt *Leid. edd. uet.* fugiunt *Gand.* subiungunt *Stephanus* suum] unũ *Par. a* 65 sardare *Paulus Festi.* sarrare *Varro* 67 acer haec fames *Lugd. p.* 647 68 augessit *Amien.* angescit *Karolir. p.* 647

X*

Toppér capésset flámma - Vólcaní . .' .

XI*

átque - priús pariét locústa
Lucám bouém . .' . -

XII

Quam liquidum . . . . amnem

XIII

Samnite

XIV

Gellius V 12 'Lucetium autem Iouem Cn. Naeuius in libris belli Poenici adpellat.'

XV*

Festus p. 262 M. '[runa genus teli significat . . . . . ru]nas . . . . ae . . . . Naeui[us . . . . idem po]suit [Ennius in l. I: runata recedit, i. e. pilata].' Paulus Festi p. 263 M. 'runa genus teli significat. Ennius: runata recedit, id est pilata.'

XVI

Festus p. 310 M. 'supparus [dicebatur puellare] uestimen[tum lineum, quod et s]ubucula ap[pellabatur. Titinius i]n Fullonia . . . . omne quod

feminina, in utraque tamen terminatione communis etiam generis inueniuntur prolata — Naeuius in carmine belli Punici: fames' e. q. s. Idem VI p. 696 P. (I 246 Kr.) 'alacer alacris, acer acris. Et sciendum quod in utraque terminatione utriusque generis inueniuntur haec . . . Naeuius in carmine belli Punici: fames' e. q. s.
X Festus p. 352 M. 'topper significare ait Artorius cito, fortasse, celeriter, temere. cito, sic in Nelei carmine . . . citius, sic Cn. Naeuius: capesset . . . Volcani.' (C. naeuicapesset cod. teste H. Keilio l. l. p. 626) 'cito, sic in eodem: namque nullum | peius macerat homonem (humanum cod.) quamde mare saeuum. | Vires (uiret cod.) cui sunt magnae topper confringent | inportunae undae.' sic in eodem] sic in Odyssea Scaligerum secutus G. Hermannus l. l. p. 623; ut ad Liuium redeat fragmentum conl. Hom. Od. ϑ 138. Qua re hinc exclusi uersus XI Varro de L. L. VII 39 M. 'apud Naeuium: atque . . . bouem. Luca bos elephas.' XII Festus p. 293 M. 'sublicium pon[tem quidam putant] appellatum [esse a sublicis] — — et meminit [sublici pontis Naeuius] qui ait in belli [Punici libro . . .] quam liquidum . . . . amnem.' XIII Priscianus VI p. 707 P. (I 261 Kr.) 'hic et haec Samnis, huius Sam-

69 topper capesset flamma *Bergkius Ephem. litt. Hal.* 1842 *II p.* 240. capesset flammam, *om.* topper, *cod.* capesset topper flammam *O. Muellerus* 70 *Saturnii particulas refinxit O. Muellerus* 72 quam liquidum [sublicio tranat ponte] amnem *Vrsinus*

[. . . . . sup]parum: puni[ceum uestimentum ita uo]cat Naeuius de [bello Puni]co.' Naeuius Vrsinus. neui cod. Hic locum habuisse inc. lib. fr. IV suspicatur Hermannus

XVII*

Apud émporiúm in cámpo - hóstiúm pro moéne

nitis — huius neutrum Naeuius Samnite protulit in carmine belli Punici, ad cuius similitudinem debet etiam hoc dite dici.' Idem VII p. 762 P. (I 332 Kr.) 'Samnitis dixit pro Samnis — Naeuius neutraliter hoc Samnite protulit in carmine belli Punici.' XVII Festus p. 145 M. 'moene singulariter dixit Ennius: apud' e. q. s. Naeuium pro Ennio reposuit O. Muellerus.

---

74 *Saturnium restituit O. Muellerus.*